An. et vol. XXXIII 23 Decembris 1941 (Ser. II, v. VIII) – Num. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Motu proprio, p. 479 – Conventio, p. 480 – Litterae Apostolicae, p. 482 – Epistulae, p. 490 – Allocutiones, p. 496.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 513 – *S. C. de Propaganda Fide*: I. Provisio Ecclesiarum, p. 514. II. Designatio, p. 514 – *S. C. Rituum*: Decretum de *Tuto* pro beatificatione S. D. Magdalenae e marchionibus di Canossa, p. 515 – *S. C. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis*: Indultum, p. 516.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 518.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne – S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio: pp. 519-526.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium subnotationis pro anno 1942:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4,50 extra Italiam, *L. it.* 5 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIII, n. 13 - 23 Decembris 1941)

ACTA PII PP. XII

MOTU PROPRIO

PAG.

Cum Nobis. - De Pontificio Opere Vocationum Sacerdotalium apud Sacram Congregationem Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositam constituendo. - *4 Novembris 1941* . . 479

CONVENTIO

Inter Sanctam Sedem et Gubernium Hispanicum. - *7 Iunii 1941* 480

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Refert ad Nos.* - Templum Sancti Francisci Assisiensis seu Sanctuarium B. Mariae Virg. Immaculatae, in civitate Agrigentina exstans, Basilicis Minoribus accensetur. - *2 Iulii 1941* 482

II. *Caritas in humilitate.* - Venerabilis Dei Famula Magdalena e marchionibus di Canossa, Instituti Filiarum a Caritate Fundatrix, Beata renuntiatur. - *7 Decembris 1941* 483

EPISTULAE

I. *Quemadmodum Decessor Noster.* - Ad R. D. Mariam Emmanuelam Fusina, Antistitam Sanctimonialium Anneciensis Coenobii ceterasque Moderatrices ac Religiosas Sorores Ordinis a Visitatione B. M. V.: tertio exeunte saeculo ab obitu Sanctae Ioannae Franciscae de Chantal, eiusdem Ordinis Legiferae Matris. - *4 Novembris 1941* 490

II. *Ineunte Decembri. mense proximo.* - Ad Em̃um P. D. Alexium Tit. Sancti Callisti S. R. E. Presb. Cardinalem Ascalesi, Archiepiscopum Neapolitanum, ab ingressu in purpuratorum Patrum ordinem quina lustra explentem. - *21 Novembris 1941* . . 493

III. *Faustus tibi proxime.* — Ad Em̃um P. D. Thomam Pium Cardinalem Boggiani, Episcopum Portuensem et S. Rufinae eumdemque S. R. E. Cancellarium, XXV anno adveniente a Romanae purpurae dignitate suscepta. - *25 Novembris 1941* 494

IV. *Tui in Sacra Congregatione.* - Ad Em̃um P. D. Petrum Tit. Sanctae Crucis in Hierusalem S. R. E. Presb. Cardinalem Fumasoni Biondi, Praefectum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, vigesimum quintum episcopatus annum feliciter expleturum. - *25 Novembris 1941* 495

ALLOCUTIONES

PAG.

I. Ad adulescentes ab Actione catholica ex Italiae dioecesibus Romae coadunatos. - *2 Novembris 1941* 496

II. Ad Legatum Reipublicae Argentinae. - *22 Novembris 1941* 502

III. Ineunte anno sesto Pont. Academiae Scientiarum, adstantibus Em̃is PP. Cardinalibus, Exc̃mis Exterarum Nationum Legatis et eiusdem Academiae Sociis, aliisque Romanae Curiae Praelatis praeclarisque Viris. - *30 Novembris 1941* 504

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 513

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Provisio Ecclesiarum 514

II. Designatio pro appellatione 514

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Veronen. - Decretum de *Tuto* pro beatificatione Servae Dei Magdalenae e marchionibus di Canossa, fundatricis Instituti Filiarum a Caritate. - *16 Novembris 1941* 515

SACRA CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

Indultum 516

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis: Antiochen. Maronitarum. - Nullitatis matrimonii (Ghanem-Souraty). - *29 Novembris 1941* . . 518

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 519

II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 519

III. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 520

IV. Necrologio 526

An. et vol. XXXIII 23 Decembris 1941 (Ser. II, v. VIII) - Num. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

MOTU PROPRIO

DE PONTIFICIO OPERE VOCATIONUM SACERDOTALIUM APUD SACRAM CONGREGATIONEM SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS PRAEPOSITAM CONSTITUENDO.

PIUS PP. XII

Cum Nobis Sacra Congregatio Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposita peropportunum fore renuntiaverit Opus primarium Sacerdotalium Vocationum condere, quod sibi proponat in Christifidelibus — omni sane consilio, sed potissimum per diversa in singulis Dioecesibus constituta id genus Opera — voluntatem excitare fovendi, tuendi iuvandique Ecclesiasticas Vocationes, rectam de dignitate ac necessitate Catholici Sacerdotii notitiam pervulgare, itemque fideles ex omnibus orbis partibus in communionem precum ac piorum exercitiorum vocare; Nos, motu proprio ac de Apostolicae plenitudine potestatis, *Opus*, quod *Pontificium* nominamus, *Vocationum Sacerdotalium* apud eamdem Sacram Congregationem constitutum volumus ac decernimus, addita facultate aggregandi Opera ac personas, quae id postulaverint, simulque omnes Indulgentias et favores spirituales, concessos vel concedendos, ad universos adscriptos extendendi.

Quod quidem ratum firmumque sit ac permaneat, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IV mensis Novembris, in festo S. Caroli Borromaei, anno MCMXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

CONVENTIO

INTER SANCTAM SEDEM ET GUBERNIUM HISPANICUM

La Santa Sede y el Gobierno Español han convenido en los puntos siguientes:

1. – Tan pronto como se haya producido la vacante de una Sede Arzobispal o Episcopal (o de una Administración Apostólica con carácter permanente, es decir las de Barbastro y Ciudad Rodrigo), o cuando la Santa Sede juzgue necesario nombrar un Coadjutor con derecho de sucesión, el Nuncio Apostólico, de modo confidencial, tomará contacto con el Gobierno Español, y una vez conseguido un principio de acuerdo, enviará a la Santa Sede una lista de nombres de personas idóneas, al menos en número de seis.

2. – El Santo Padre elegirá tres de entre aquellos nombres y, por conducto de la Nunciatura Apostólica, los comunicará al Gobierno Español y, entonces, el Jefe del Estado, en el término de treinta días, presentará oficialmente uno de los tres.

3. – Si el Santo Padre, en su alto criterio, no estimase aceptables todos o parte de los nombres comprendidos en la lista, de suerte que no pudiera elegir tres o ninguno de entre ellos, de propia iniciativa completará o formulará una terna de candidatos comunicándola, por el mismo conducto, al Gobierno Español.

Si éste tuviera objeciones de carácter político general que oponer a todos o a algunos de los nuevos nombres las manifestará a la Santa Sede.

En caso de que transcurriesen treinta días desde la fecha de la susodicha comunicación sin una respuesta del Gobierno, su silencio se interpretará en el sentido de que éste no tiene objeciones de aquella índole que oponer a los nuevos nombres; quedando entendido que entonces el Jefe del Estado presentará sin más a Su Santidad uno de los candidatos incluidos en dicha terna.

Por el contrario, si el Gobierno formula aquellas objeciones, se continuarán las negociaciones, aun transcurridos los treinta días.

4. – En todo caso, aun cuando el Santo Padre acepte tres nombres de los enviados, siempre podrá, además, sugerir nuevos nombres que añadirá a la terna, pudiendo entonces el Jefe del Estado presentar indistintamente un nombre de los comprendidos en la terna o alguno de los sugeridos complementariamente por el Santo Padre.

5. – Todas estas negociaciones previas tendrán carácter absoluta-

mente secreto, guardándose de manera especial el secreto con respecto a las personas hasta el momento de su nombramiento.

6. – El Gobierno Español, por su parte, se compromete formalmente a concluir cuanto antes con la Santa Sede un nuevo Concordato inspirado en su deseo de restaurar el sentido católico de la gloriosa tradición nacional.

El presente Convenio estará en vigor hasta que se incorporen sus normas al nuevo Concordato.

7. – En lo relativo a la provisión de los beneficios no consistoriales, en el mismo momento de la firma de este Convenio se iniciará la oportuna negociación para concluir otro en el que se establezcan las normas para su provisión.

La Iglesia, a la que por derecho propio y nativo corresponde la provisión incluso de aquellos beneficios no consistoriales sobre los que el Rey de España gozaba de particulares privilegios, está dispuesta, no obstante, a hacer también en este punto algunas concesiones al Gobierno Español.

8. – Hasta que la cuestión quede definitivamente arreglada en el futuro Concordato, los Prelados podrán proceder, libremente, a la provisión de las Parroquias, dentro de las normas del Derecho Canónico, sin más que notificar los nombramientos al Gobierno, con anterioridad a la toma de posesión, para el caso excepcional de que éste tuviera que formular alguna objeción contra el nombramiento por razones de carácter político general.

9. – Entretanto se llega a la conclusión de un nuevo Concordato, el Gobierno Español se compromete a observar las disposiciones contenidas en los cuatro primeros artículos del Concordato del año 1851.

10. – Durante el mismo tiempo el Gobierno se compromete a no legislar sobre materias mixtas o sobre aquellas que puedan interesar de algún modo a la Iglesia, sin previo acuerdo con la Santa Sede.

Hecho por duplicado en Madrid, a siete de junio de mil novecientos cuarenta y uno.

Por la Santa Sede,
† Gaetano Cicognani

Por el Gobierno Español
Ramón Serrano Suñer

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TEMPLUM SANCTI FRANCISCI ASSISIENSIS SEU SANCTUARIUM B. MARIAE VIRG. IMMACULATAE, IN CIVITATE AGRIGENTINA EXSTANS, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Refert ad Nos Venerabilis Frater Agrigentinus Episcopus intra fines civitatis suae episcopalis conspicuum titulo Sancti Francisci Assisiensis templum exstare, in quo veneranda lignea statua Beatae Mariae Virginis Immaculatae servatur, quam peculiari modo christifideles, non e civitate tantum eadem, sed a tota dioecesi pie colunt, in auxilium implorant, devoto gratoque animo pro acceptis beneficiis dilaudant. Ob magnam quoque pietatem in Deiparam, anno proxime elapso Marianum ipsum simulacrum, Decreto Capituli Sacrosanctae Basilicae Vaticanae aurea corona est honestatum; idque in augmentum popularis venerationis Virginis Immaculatae prodiit, atque etiam decoris agrigentini templi, quod sacram memoratam statuam custodit. Templum idem, nunc Sanctuarium mariale renuntiatum, quamvis saeculo decimo octavo ampliatum ac fere totum denuo exstructum, iam ad prisca tempora Ordinis Franciscalis referendum est, cum antiquioris aedificii crypta adhuc exstet una cum pulcro in superiori ecclesia sacello formis, uti aiunt, arabicis-normannis aliisque perspicuis architecturae vestigiis, quae ad mediam aetatem spectant. Ab origine templi atque adiecti conventus per plura saecula Fratres Minores Conventuales ibi degerunt; hodierno vero templo, structurae mole uti dictum est et operibus artis mirando, post eorundem Fratrum discessum, clerus saecularis operam suam laudabiliter praestat, illudque sacris functionibus splendide peractis illustrat, praesertim publicarum sollemnitatum occasione, quum saepe proceres civitatis populusque confertissimus inibi conveniunt. Quapropter cum, cleri populique suae dioecesis vota Nobis commendans, Venerabilis Frater Agrigentinus Episcopus enixis precibus Nos rogaverit ut idem templum seu Sanctuarium, vere pietatis religionisque civium agrigentinorum monumentum, titulo Basilicae Minoris de benignitate Nostra apostolica decorare dignemur, Nos ut fidelium civitatis regionisque totius amorem etiam devotionemque erga Immaculatam, eorumdemque in divino cultu provehendo studium foveamus, supplicationibus memoratis concedendum ultro libenterque

censemus. Conlatis igitur consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum, memoratum templum, seu Sanctuarium, titulo Sancti Francisci Assisiensis, dioecesis civitatisque Agrigentinae intra fines, dignitate ac titulo Basilicae Minoris honestamus; contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec largimur decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II m. Iulii, an. MCMXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

II

VENERABILIS DEI FAMULA MAGDALENA E MARCHIONIBUS DI CANOSSA, INSTITUTI FILIARUM A CARITATE FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Caritas in humilitate, humilitas in caritate Divini Mandati, quo a Domino Nostro Redemptore nobis suis asseclis dilectio proximi iubetur, plenitudinem procul dubio constituunt, at raro concordes congruentesque in fidelibus christianis conveniunt; cum si in Christi communitate inveniuntur plures qui egenos, debiles pauperesque auxilio suo benefice adiuvent, haud pariter facile reperiuntur qui infimos de plebe vere *caritate fraternitatis invicem diligentes* (*Rom.*, XII, 10) ita animo atque operibus usque ad miseros ipsimet descendant seseque abiiciant, illosque immo ita ad se trahant atque evehant, ut, omni discrimine, quod ex sociali condicione proveniat, sublato, pari ac mutua fiducia fratres omnes in Christo tam adiutores quam adiuti sese agnoscant et filios communis Patris qui in coelis et in terra summa caritas est. Provide vero benignissimus Deus aliquos ut facti sint *forma omnibus credentibus* (I *Thess.*, I, 7) tempestive suscitat, qui flamma heroicae ca-

ritatis incensi nec non humilitate pleni, omnibus spretis nobilitate generis, domo, divitiis ceterisque mundi bonis, non *verbo neque lingua sed opera et veritate* (I *Ioan.*, IV, 18) pauperes quam maxime diligunt, atque ad eorundem miserias sive corporales sive spirituales opportune sublevandas, pauperes ipsimet facti miserorum turbis mirabiliter se devovunt, suorum ipsorum adeo despicientes, ut nil aliud exoptent quam uri caritate Christi Iesu, qui *mitis et humilis corde* propter nostram salutem *humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.*, II, 8). Procellosis etiam illis temporibus quibus, exeunte decimo octavo saeculo atque nono decimo ineunte, summa hominum arrogantia sub iactatae libertatis specie, aequalitatis et fraternitatis omnia Catholicae Fidei civilisque societatis principia funditus evertere conata est, procul dubio misericordia Dei in exemplum christianae caritatis adducta aeque et humilitatis videtur Magdalena di Canossa, veronensis, mulier singulari praedita sanctitate, mirabili candore, summa prudentia atque animi simplicitate; omnibus civibus et optimatibus et publicarum rerum moderatoribus carissima, maiorum suorum gloriae contemptrix, paupertatis amantissima; quae bono miserorum humiliumque procurando non modo se ipsam quoad vixit totam obtulit, sed Institutum quoque Filiarum Caritatis ad eundem finem obtinendum constituit. Terrenam demum hanc vitam in aeternam commutavit, Veronae, in domus Sancti Iosephi inornata cella, cui, testimonio tantorum bonorum operum atque inceptorum, quae Dei Famula mente ibi conceperat firmiterque voluerat, postea verba haec: *Ecce odor loci huius sicut odor agri cui benedixit Dominus* recte apposita sunt, ut Canossianae Sorores, ex variis dissitisque terrae domibus in exiguum idem cubiculum aliquando convenientes, memoria Fundatricis, inibi vita mortali functae, in tribulationibus suis spe confirmarentur, ac spiritu tantae Matris imbutae in caritatis laboribus levamentum ac robur iugiter haberent. In magnificis Canossae aedibus e praenobili gente, historicis memoriis e medio praesertim aevo factisque conspicua, Veronae, anno salutis millesimo septingentesimo septuagesimo quarto nata Dei Famula die secunda mensis Martii salutaribus Baptismatis aquis, eidem nomine Magdalenae-Gabrielae imposito, postridie est abluta. Vix quinquennis patre orbata, cum mater ad secundas nuptias transiverit, a patruo, equite hierosolymitano, diligenti atque humano tutore, domi instituenda traditur cuidam e gallica natione magistrae, quae saepe saepius dure atque immerito cum ea egit. Magdalena autem etsi fervidae indolis, quam ex tunc vincere iam assuevit, de institutricis molestiis nunquam conquesta, docilis iugiter atque oboediens, pueritiam

domi transegit maioribus submissa, sororibus amabilis, quodammodo iam ostendens peculiares animi ingeniique dotes quibus Dei gratia exornata erat. Nam ipsius adhuc puellae laudabantur religiosa pietas, in pauperes misericordia, nugarum mundi contemptus inque studiis progressus. Candor eius et puritas caritatisque ardor magis extrinsecus eluxerunt quum adolescens ad *sacrum convivium in quo Christus sumitur* prima vice accessit, tantamque ex illo tempore erga Divini Amoris Sacramentum venerationem ipsa concepit, ut fere trilustris gravi et diuturno correpta morbo, quem patientissime tulit, Dominum suum, parentibus id aegre ferentibus, uti Viaticum sumere voluerit, ac postea per totam laboriosam vitam Sanctissima Eucharistia sese cotidie sustentaret. Puritatis studio et castitatis incensa nullo modo tangi patiebatur, ita ut virgo verecundia, virgo totis moribus dignosceretur ab omnibus: sane ab ipso etiam Galliarum imperatore, aliquando in Canossiano palatio Veronae hospite, tanta modestia commoto, *Angelus* nuncupari meruerit. Nil mirum itaque si Magdalena iam a prima aetate religiosam vitam aggredi exoptaverit proptereaque tutori amantissimo ceterisque parentibus propositum suum ostenderit, eorundemque consensu haud facile obtento, de consilio quoque moderatorum spiritualium suorum ad Carmelitas se contulerit. Bis vero monialium vitam amplexa, cum ad aliud se vocari agnosceret, moderatoribus iisdem auditis, asceterium deseruit ac domum rediit, ibique domestica negotia moderanda suscepit. At provide id evenisse ea demonstrant quae postea agenda erant in domibus Instituti constituendis. In rem familiarem usque ad tricesimum tertium aetatis suae annum proinde incubuit omnium existimationem sibi concilians; tanta enim usa est sagacitate, industria ac prudentia in re ipsa; in imperio mitis ac modesta, in eloquio suavis atque ingenua; vigilabat quidem in servos ut recte in Domino agerent; ab omnibus e familia ut vitam sensibus moribusque religiosis ducerent summa cupiditate postulabat; adeo ut in rebus quibuslibet iam tunc gloriam Dei ante oculos iugiter habuisse plene videatur. Venetiis autem, quo, in illa difficili perturbationum publicarum tempestate, cum suis confugerat, visum vel potius visionem de suo Instituto erigendo tandem habuit. Enimvero cum puella adhuc desiderium frustra excoluerit religiosam vitam amplectendi atque interea, misericordia erga pauperes egenosque ornata, eos quantum potuerat sublevaverit, dein Venetiis commorans, dum in xenodochiis invisebat infirmos ac moderatoribus conscientiae suae humiliter ostendens desideria motusque animi perfecte oboediebat, nitida mente concepit Institutum constituere, quo infirmorum cura nec non puellarum plebis educatione Christo redderetur

Illique servaretur fidelium societas, cui plena, tristissimo illo tempore, ruina instabat. Qua re Veronam reversa, venia a familiaribus simul congregatis efflagitata, in Sancti Zenonis paroeciae parva domo conducta, nonnullis secum assumptis sociis, pauperibus puellis colligendis erudiendisque, ac postea egenis civitatis aegrotisque sublevandis mirabiliter Dei Famula se dedidit; cumque proximi necessitatibus spiritualibus terrenisque continenter praesto esset, nullis sumptibus laboribusque ut puellae a periculis arcerentur parceret, mira morum conversio mox in paroecia Sancti Zenonis facta est. Adeo tamen humilia fuerunt exordia, ut opera neque progredi neque diu consistere visa sit; sed ad angustias superandas Magdalena a Beata Virgine Perdolente supplex auxilium expostulavit, suoque inceptu sub patrocinio ac lubitu eiusdem Deiparae posito, tribulationes ubique habitas aeque toleravit; atque ita ea omnia perficere potuit quae ad novam religiosam Familiam efformandam necessaria erant. Praecipuus autem finis Instituti, quod sub *Filiarum a Caritate* titulo meruit adprobari, eo ab initiis spectabat ut religiosae civilique pauperum puellarum educationi prospiceretur; sed pia Fundatrix sodalibus suis ut catechesim in paroeciis traderent et infirmis in nosocomiis curas suas impenderent, praeceptum fecit; voluitque praeterea in christianas magistras parandas pro ruralibus paroeciis ipsae quoque incumberent. Anno autem millesimo octingentesimo octavo Dei Famula Instituti sui vera fundamenta iecit, cum a prima parva et, ob auctum puellarum numerum, non amplius apta domo conducta, ad Sancti Iosephi conventum, quem monialibus a Sancto Augustino iam destitutum a Galliarum imperatore obtinuerat, die octavo mensis Maii, anno eodem, festo Patrocinii Sancti Iosephi, cum sociis puellisque se contulerit. Post primam hanc Veronensem, alteram Venetiis Venerabilis Dei Serva, iisdem finibus sibi propositis religiosae nempe puellarum institutionis atque infirmorum curae, ad Sanctae Luciae domum de Patriarchae Venetiarum consensu fundavit. Tertio, novis sibi sociis adiunctis, Bergomi constituit conventum, in cuius laboriosis initiis tranquillo animo et firma fide astitit. Mediolanenses ac Tridentina aedes, quae brevi secutae sunt, ultimae dum viveret Dei Famula erigi potuerunt; nam ob summam, qua iugiter ipsa usa est, circumspectionem Cremonae, Brixiae atque aliae domus, in quas aperiendas operam suam diu vivens insumpsit, reapse dumtaxat post obitum eius canonice prodierunt. At dein Institutum canossianum adeo est, Deo favente, ubique dilatatum, ut hodie non modo in Italia inque aliis Europae et Americae regionibus sed et apud infideles sive in Sinis sive in variis Orientis terris Filiae Caritatis, matrem fundatricem suam

vestigiis fideliter sequentes, in bonum animarum provehendum heroice incumbant. Constitutiones, quibus Institutum utitur, ipsamet Venerabilis Dei Famula, prae oculis habens Sancti Vincentii a Paulo regulas, exaravit, easque Decessori Nostro Leoni Pp. XII humiliter praesentavit anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo, cum Romam petierit ad novae Religiosarum familiae approbationem apostolicam accipiendam; de qua autem, ea definitive obtenta, Veronam inde rediens gratias egit amplissimas in celeberrimo Sanctuario Lauretano, inibi patronae Beatae Virgini commendans se suumque Institutum, cuius usque ad mortem suprema Moderatrix fuit, quamvis a sororibus suis potius ut mater habita. Eximia siquidem animi benignitate, provida ac materna, absque ulla acceptione tractabat sorores omnes, quarum utilitati praesertim spirituali semper erat intenta. Regularum observantiae studiosissima, eandem exemplo et scriptis continuo commendabat; concordiam caritatemque mutuam inter suas filias fovens, potius mori cupiebat quam inter illas pacem amitti; christianae perfectionis studio, quo inde ab adolescentia iugiter flagravit, socias suas imbuere summa cura expetivit; ac propterea statis temporibus eas circum se collectas alloqui solebat ad paupertatem eas excitans, ad fiduciam in Dei providentia, ad caritatis onera erga proximos in humilitate fundatae. Continenter praesertim studuit sodales exemplo suo confirmare: licet enim e nobilissimo ac divite genere orta paupertatem atque humilitatem ita dilexit, ut pauperem sese plene fecerit; in humillimis domorum officiis sese exercuerit; nobilitatis titulos opesque contempserit; in eleemosynis largiendis iugiter dives, suis quoque vestibus aliquando ad pauperes induendos sese expoliaverit; veluti ultima e domo tum indumentis obsoletis demissisque usa fuerit, tum vilioribus cibis vesci, ieiunii tenax, assueverit. Nec minus quam sui status officia ac munera rigorose quoque adimplevit Dei atque Ecclesiae praecepta, templorum cultusque divini decus curavit, Fidem propagandam atque etiam sanguinem fundere in Fidei testimonium ardens exoptavit. Dei ministros magna reverentia honestavit, iugiter piorum doctorumque sacerdotum in rebus suis usa consilio, praesertim Episcoporum quibus in omnibus obsequens fuit. Sanctam Sedem maxima observantia prosecuta est et Literas Vicarii Christi ob venerationem genuflexa legebat. Orationi vacans vel de divinis loquens mysteriis saepe in Deum rapta visa est. De bono denique aliorum procurando sollicita, praeter Institutum suum, aliis quoque inceptis operam dedit: spiritualibus videlicet exercitiis pro feminis non modo e superiori coetu sed e populari, quas pauperes exercitiorum tempore alebat auxiliisque adiuvabat; nec non Filiorum Caritatis Instituto.

cui ab initio omnimode ac sollerter veluti mater curas suas praebuit. Tot laboribus confecta, anno primo supra sexagesimum aetatis suae Dei Famula ad mortem contra hominum opiniones iam iam appropinquabat: brevi quidem correpta morbo, anno millesimo octingentesimo tricesimo quinto, die quem praedixerat mensis Aprilis Deiparae Perdolenti sacro, Ecclesiae sacramentis rite munita, genibusque flexis devotissime sumpta Sanctissima Eucharistia, ad Coelestis Sponsi nuptias tandem convolavit. Vix obitus Venerabilis Dei Famulae nuncio vulgato, ob tantam in quam ipsa venerat caritatis sanctitatisque famam omnes cuiusque ordinis cives veronenses ut eiusdem corpus suprema vice inviserent ad Sancti Iosephi domum confluxerunt, atque ad eiusdem sollemne funus ingenti etiam numero occurrerunt, quum post tres menses, venia a publica auctoritate impetrata, Venerabilis corpus in cornu Epistolae prope altare maius templi Canossianarum Sororum pientissime repositum est. Ex ipso quidem tempore obitus ad nostros usque dies fama sanctitatis Venerabilis Magdalenae di Canossa magis magisque increvit, adeo ut Ordinaria auctoritate processus initi ac de more confecti sint, et die quintodecimo mensis Februarii anno millesimo octingentesimo septuagesimo septimo recolendae memoriae Pius Pp. IX Decessor Noster Introductionis Causae Commissionem manu propria signaverit; eademque introducta cum fuerit, minoribus interea superatis iudiciis, ita deinceps progressa est, ut super Venerabilis Servae Dei Magdalenae di Canossa virtutibus disceptari coeptum sit, quas tamquam heroica qualitate praeditas atque exornatas Praedecessor Noster Pius Pp. XI felicis recordationis, anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo, octavo Idus Ianuarias, adprobavit atque edixit. Agitata dein quaestione de duobus miraculis, quae a Deo patrata ferebantur per eiusdem Venerabilis intercessionem, post duas Congregationes, antepraeparatoriam nempe ac praeparatoriam, nec non aliam generalem Congregationem quae coram Nobis die quintadecima mensis Iulii, hoc anno, habita est, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, Nosmetipsi in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis declaravimus proposita miracula constare, proindeque in casu ulterius procedi posse. Cum igitur esset de heroicis virtutibus deque miraculis prolatum iudicium, illud tantum discutiendum supererat, num Venerabilis eadem Dei Famula *tuto* inter Beatos coelites recensenda foret. Hoc dubium propositum est a Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, hodierno Causae Relatore, in generalibus comitiis coram Nobis habitis die decima prima mensis Novembris, vertentis anni; omnes-

que qui aderant, tam Cardinales quam Sacrorum Rituum Consultores, unanimi consensu, affirmative responderunt. Nos autem in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus donec enixis Nostris eorundemque, quos nominavimus, precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Tandem die sexta decima memorati mensis Novembris, vicesima quarta nempe Dominica post Pentecosten, Eucharistico Sacro rite litato adstantibus Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, itemque Causae Relatore seu Ponente, nec non dilectis filiis Alphonso Carinci, Congregationis Rituum a Secretis, et Salvatore Natucci, generali Sanctae Fidei promotore, procedi *tuto* posse sancivimus ad Venerabilis Dei Famulae Magdalenae di Canossa beatificationem. Quae cum ita sint, Instituti praesertim Filiarum a Caritate, quas vulgo Canossianas nuncupant, vota implentes, Apostolica auctoritate Nostra, praesentium Litterarum tenore, facultatem facimus ut eadem Venerabilis Famula Dei Magdalena di Canossa, Instituti praelaudati Filiarum a Caritate Fundatrix, nomine BEATAE in posterum nuncupetur, eiusdemque corpus ac lipsana seu reliquiae, non tamen sollemnibus in supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur, itemque ut eiusdem Famulae Dei imagines radiis decorentur permittimus. Nostra praeterea auctoritate eadem concedimus ut de Beata ipsa quotannis recitetur Officium et Missa celebretur de Communi Virginum, cum lectionibus et orationibus propriis per Nos adprobatis, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat largimur in Veronensi dioecesi, ubi nata est Serva Dei ac migravit ad Dominum: itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Institutum Filiarum a Caritate utitur, ab omnibus fidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus presbyteris tam e saeculari quam e religioso clero ad templa sive sacella in quibus festum agatur convenientibus. Facultatem demum impertimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Ancillae Dei Magdalenae di Canossa supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum, servatis servandis, postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, in disceptationibus etiam iudi-

cialibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Decembris, an. MCMXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULAE

I

AD R. D. MARIAM EMMANUELAM FUSINA, ANTISTITAM SANCTIMONIALIUM ANNECIENSIS COENOBII CETERASQUE MODERATRICES AC RELIGIOSAS SORORES ORDINIS A VISITATIONE B. M. V.: TERTIO EXEUNTE SAECULO AB OBITU SANCTAE IOANNAE FRANCISCAE DE CHANTAL, EIUSDEM ORDINIS LEGIFERAE MATRIS.

PIUS PP. XII

Dilectae in Christo Filiae, salutem et Apostolicam benedictionem. — Quemadmodum Decessor Noster f. r. Pius X,[1] trecentesimo vertente anno ab instituto feliciter Visitationis Ordine, ita Nos, tertio exeunte saeculo a piissimo Legiferae Matris vestrae obitu, in partem laetitiae vestrae venire cupimus, vosque paterno adhortari animo ut per haec potissimum saecularia sollemnia — vivida ac veluti spirante imagine Ioannae Franciscae de Chantal menti vestrae proposita — excelsas eius virtutes etiam atque etiam imitari contendatis. Nulla enim meliore ratione possumus sanctorum caelitum celebrare gloriam, quam si sacra illa vestigia, quae per mortalis huius vitae iter gradientes in exemplum nobis reliquere, omni ope persequi studeamus.

Iamvero intuentibus Nobis in praeclara sanctissimaque eius gesta animi fortitudo ac firmitas imprimis elucet, qua ipsamet ut totam se Deo devoveret, non modo nobilis suae domus fortunam ac nomen, non modo quae in praesens affluebant commoda suavitatesque vitae, et quae in posterum portendebantur auspicia amplissima omnino posthabuit, sed suum etiam parentem iam senem et quattuor filios dilectissimos, novella adhuc aetate florentes, generosa deseruit. At haec eadem animi firmitas cum lenitate ac benignitate summa ita in ea coniungebatur, ut mitis, mansueta semperque sibi constans omnibus videretur; et in pauperes, in debiles inque devios e recta via indulgentia ac misericordia

[1] Epist. *Communis vobiscum* d. d. XIII Dec. MDCCCCIX.

maxima ferretur. Illa siquidem probe intellexerat divini Redemptoris sententiam admonitionemque : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris »;[2] ac non modo Iesu Christi nomen candenti ferro suo pectori insculpsit, sed eius etiam imaginem miro quodam modo suis moribus expressit. Qua vero aestuabat in Deum et in proximos flagranti caritate, nihil antiquius habuit, quam diuturnis instare precibus, coram praesertim Augusto Sacramento ac Deiparae Virginis ara, se cunctaque sua divinae voluntati penitus committere, eosque omnes, quos novisset paupertate, morbis omnique genere miseriarum oppressos, refovere, curare, enutrire omnique ope solari. Cumque perspectum haberet germanam solidamque virtutem a fuga superbiae et ab excelsa stultitia Crucis maxime efflorescere, tam libenti voluntate christianam humilitatem amplectebatur, ut, quamvis ceteris sanctimonialibus et nobilitate prosapiae, et ornamentis animi, et auctoritate praeesset, se tamen omnium minimam et abiectam reputaret.

Quapropter, dilectae Filiae, si praeclarum hoc sanctimoniae exemplar vobis ad meditandum imitandumque proponetis hac potissimum fausta celebritate, « loquetur ... eius voce virtus ipsa vobiscum ».[3] Atque ita profecto fiet ut, non modo satius alacriusque in dies ad evangelicae perfectionis apicem contendatis, sed ut etiam Institutum vestrum, quod auctore suasoreque Francisco Salesio Ioanna Francisca de Chantal veluti sacra hereditate vobis reliquit, actuosius cotidie diligatis, eiusque leges ac normas integerrime custodiatis. Quodsi clamosum ac volubile saeculum umbratilis hoc vitae genus contemplationi sacrum detrectat ac prorsus renuit, quasi otium inane humanaeque societati maxime detrimentosum, vos tamen probe nostis « nulla re magis et propitium haberi Deum et iuvari proximos, quam sacrificio laudis diuturno et exemplo vitae intemeratae ».[4] Dum igitur acris ea, quam cernimus, omnia novandi cupido tumultuariam aetatem nostram pervadit, « vos, quae *optimam partem* elegistis, hanc retinete, neve a sancto proposito dimoveri patiamini per speciem procurandae alienae salutis, perperam reputantes, in qua versamur tempestate, non vitam contemplationi deditam, sed actuosam desiderari ».[5] Si tamen Apostolica Sedes pro peculiaribus rerum adiunctis prudentique consilio suo iudicaverit aliquid decernere, quod novum Instituto vestro videatur, id vos observantissimo animo procul dubio accipietis, noscentes prorsus non vobis detrimento, sed utili-

[2] Matth., XI, 29.
[3] Cf. Cic., *Tusc.*, II, 19.
[4] Pius X, ibidem.
[5] Ibidem.

tati futurum. Quam quidem agendi rationem vobis obsequium profecto suadet Ecclesiasticae Auctoritati debitum, itemque studiosa ac prona voluntas, qua ad ea omnia accipienda movemini, quae ab eadem, utpote vobis opportuna ac salutaria, statuta fuerint. Non est igitur cur hac de re vos adhortemur, quandoquidem Nobis perspicuum est intercedere feliciter, sicut invicem inter varia coenobia vestra, ita inter universum Ordinem et Apostolicam hanc Sedem, summam, caritateque altam, animorum coniunctionem. Quo in laudabili proposito, a S. Ioanna Francisca de Chantal vobis tradito, ut facilius permaneatis, haud parum vobis proderit illud, quod recens vobis iterum concessum est, patrocinium nempe alicuius S. R. E. Cardinalis. Hoc in praesens, ut nostis, Dilecto Filio Nostro Friderico S. R. E. Presb. Card. Tedeschini, Datario Nostro, creditum est, qui quidem suae pietatis studio Ordinis vestri Conditores recolit, eumdem Ordinem magna aestimatione prosequitur, idque summopere cordi habet, ut et spiritus, et normae et instituta vestra integerrime religioseque serventur, utque mandata omnia ac vota, quae hinc proficiscantur, libenti a vobis volentique animo excipiantur. Placet autem heic peculiari animi Nostri gaudio illud dilaudando in memoriam revocare, quod praecipuum omnino in Instituto vestro videtur, ac tantopere fuit a Legifera Matre vestra et a S. Francisco Salesio commendatum, mutuam nempe actuosamque caritatem, sicuti superiore aetate ita in praesens florescere, ut oportet, inter vos, communem vitam faciliorem reddere, pacem in animis alere, idque efficere, cum a divino amore procedat, « ut omnes unum sint ». [6] Neque minore gaudio Nos afficimur cum exploratum habeamus inter universum Ordinem vestrum et Anneciensem Domum, quemadmodum vobis a maioribus traditum est, summam interesse voluntatum coniunctionem; eamdemque Domum vos agnoscere a revereri ut « Instituti vestri fontem ac veluti matrem ». - Pergite igitur, dilectae Filiae, susceptum iter animosae, humiles Deoque fidentes persequi; et immortales caelesti Numini grates agite, qui vobis hoc pene angelicae vitae genus sua adspirante gratia concessit. Hoc quidem vitae genus summo semper in pretio habeatis, de quo plane asseverari ea licet, quae S. Ioannes Chrysostomus eloquentissime affirmat: « Quasi ... in tranquillo quodam portu omnia intus silentium possidet, et vel silentio maior animum serenitas, quippe nihil humanum tractantem, sed assidue cum Deo colloquentem atque in eum fixe contuentem. Et quis eam voluptatem metiatur? Quae oratio mentis sic affectae laetitiam repraesentet? Equidem nulla, sed ii

[6] Ioan., XVII, 21.

soli, qui in Deo delicias ponant, earum magnitudinem sciunt, et quanto omnem comparationem vincant, agnoscunt ». [7]

Pergite, dilectae Filiae, non vobis solummodo, sed humanae etiam consortioni, tam miserae in praesens ac trepidae, superna vestris precibus conciliare munera; pergite quasi viventes hostias vos devovere Deo, ut errantibus ac deviis rectum iter pateat, ut delectis animo e supernis sedibus spes affulgeat, ut aerumnosis omne genus divina humanaque praebeantur solacia, utque tandem aliquando christiana pax, quae fratres deceat Iesu Christi caritate eiusque sacro cruore redemptos, fatigatis populis auspicato arrideat.

Quorum caelestium munerum conciliatrix esto, et paternae benevolentiae Nostrae pignus Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, dilectae Filiae, perlibenter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IV mensis Novembris, anno MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

II

AD EM̃IUM P. D. ALEXIUM TIT. SANCTI CALLISTI S. R. E. PRESB. CARDINALEM ASCALESI, ARCHIEPISCOPUM NEAPOLITANUM, AB INGRESSU IN PURPURATORUM PATRUM ORDINEM QUINA LUSTRA EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Ineunte Decembri mense proximo, faustus tibi anniversarius dies illucescet quintus ac vicesimus, ex quo amplissimam Romanae purpurae dignitatem excepisti. Cuius quidem iucundi eventus commemoratio praeclaram Nobis exhibet opportunitatem Tibi ex animo gratulandi ac benevolentiam Nostram publice palamque confirmandi. Hoc enimvero haud brevi temporis intervallo, ipse, pastoralibus curis semper incumbens, quo graviores in dies commissi gregis necessitates exstiterunt, eo maiore sollertia ac navitate eisdem prospicere contendisti. Notae profecto sunt penitusque compertae sollicitudines, quibus, antea in Beneventana archidioecesi ac deinde in perillustri sede ista Neapolitana, novas paroecias ecclesiasque e solo excitasti pluresque veteres redintegrasti, sol-

[7] *De virginitate*, 68. *MG* 48, 584.

lemnibus coetibus eucharisticis vel catechisticis Campanoque Concilio plenario praefuisti, ampliori iuvenis cleri habitationi atque altiori eiusdem in scientiis sacris institutioni operam navasti. Perspecta sunt pariter flagrantia studia, quibus abs te sunt pastorales visitationes peractae, saluberrima caritatis instituta in cleri populique utilitatem condita atque incepta Actionis Catholicae efficaciter promota. Nos itaque, quibus nihil est potius, quam libenti gratoque animo prosequi Nostros in moderanda Ecclesia adiutores consiliariosque, proximam tuam faustitatem laetantes participamus fervidisque votis ominibusque cumulamus. Tibi autem, Dilecte Fili Noster, facultatem ultro tribuimus, ut, qua volueris die, post Sacrum pontificali ritu peractum, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam eisdem indulgentiam proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Supernorum interea donorum solaciorumque nuntia et conciliatrix, peculiarisque Nostrae caritatis esto Apostolica Benedictio, quam tibi Dilecte Fili Noster, tuisque Auxiliaribus Episcopis universoque clero ac populo tuae vigilantiae concredito amantissime in Domino impertimus.

